

Christoph Redecker

**Programma Quo Pro-Rector Academiae Rostochiensis Christophorus Redeker,  
P.P. & Consistorii Ducalis p.t. Director, ad recolendam serio Passionem  
Dominicam & fugiendam ex adverso Bacchanaliorum Impietatem Omnes  
Academiae Cives & cumprimis Studiosam iuventutem, officii ratione serio  
adhortatur**

Rostochi[i]: Weplingius, 1689

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742498603>

Druck Freier  Zugang









J. 512.

1689. Fasten.

~~A-1256~~<sup>54.</sup>



Q. 1689

PROGRAMMA  
<sup>Quò</sup>  
PRO-RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
CHRISTOPHORUS  
REDEKER.

P.P. & Consistorii Ducalis p.t. Director,  
ad recolendam seriò

PASSIONEM  
DOMINICAM

& fugiendam ex aduerso

BACCHANALIORUM  
IMPIETATEM

Omnes Academiæ Cives & cumprimis Studio-  
sam iuventutem, officii ratione seriò  
adhortatur.

*Ex lib.  
Christophori  
Redeker  
to. 1.*



Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII,  
Univers. Typogr. A. 1689.

M. 1256 54





Nter anniversaria sacra, quæ Christiana pietas jam inde à primâ Christianismi ætate, uti instituit, ita hætenus constanter celebravit, meritò numerantur meditationes illæ, quibus Passionem Servatoris de humano genere meritissimi juxta ac mortem Ejusdem recolimus. Et in eo haut immeritò apicem felicitatis nostræ collocamus nos, qui divinâ clementiâ ita dispensante, horrendis densissimisq; paganismi tenebris erepti fumus, ut tot nugamentorum, sordium, abominandorum rituum, infandorumq; scelerum loco, (Bacchanalia volo sacra) religiosâ mente id considerare hoc tempore habeamus, in quo animarum æterna salus reposita est. Horresco referens, nec satis admirari valeo Sathanæ tenebrarum Principis, milleq; fraudum architecti, quam in tenebris, hoc est, occæcatis terrima ignorantia caligine mentibus exercet potestatem. Scilicet, ut veterum probra vitæ repetere paucis liceat, ad excitandum eò majorem rei turpis abominationem, cujus non obscura vestigia, eliminandasq; meritò penitus reliquias inter Christianos hodiernum etiam deprehendas: Nudi ad sacra nocturna sacerrima quondâ conveniebant Bacchico furore correpti, caput omnes femoraliaq; pampinis & uvarum racemis cincti, alios item racemos uvarum in manu tenebant, & tumultuario invicem commixti cœtu in sublime saltantes, variaq; gestulatione, brachia, cervicem, caputq; moventes, carmen inconditum Baccho cantabant. Neq; prius erat saltationi modus quàm defatigati & toto corpore vacillantes partim resupinarentur, proximioribus inhærentes, partim in pavementum fanatici amentesq; procumberent



rent, referente id ex Flavii Blondi Foro-Julienſis lib. 2.  
 de Româ triumphante, Roſino Antiqvit. Lib. 4. c. 17. Lu-  
 culentiùs de hâc turpitudine teſtatur Livius lib. 39. *Addite*  
*inquit, voluptates religioni vini & epularum, quo plurimum*  
*animi illicerentur. Quum vinum animos, & nox & miſti ſœ-*  
*minis mares diſcrimen omne pudoris extinxiffent, corruptela*  
*primùm omnis generis cœpta, cum ad id quoviſq; quo natura pro-*  
*nioris libidinis eſſet, paratam voluptatem haberet: nec unum*  
*genus noxæ, ſupra promiſcua ingenuorum, ſœminarumq; erant,*  
*faſti teſtes, falſa ſigna teſtimoniaq; ex eadem officinâ exhibant;*  
*venena identidem, in teſtinaq; cades, ita ut ne corpora quidem*  
*interdum ad ſepulturam extarent: multa dolo, pleraq; per vim*  
*audebant, &c.* Autorem tantorum ſclerum ſupra indi-  
 cauimus Sathanam, â quo ceu uberrimo omnis mali fon-  
 te primùm manavit, quicquid impietatis ac nequitia  
 mortalium pectora deturpat. Interim nec homines de-  
 fuere, quorum miniſterio potiffimum uſus eſt, quando ſa-  
 cra illa nefaria vel invenienda, vel propaganda erant, &  
 per diverſas Orbis terrarum partes diſſeminanda. Quos  
 inter maximè inſignis Melampus Amytheonis filius eſt,  
 qui teſte Herodoto, Polydoro Virgilio de Invent. Re-  
 rum L. 3. C. 17. citato, auctor illorum fuit, primuſq; ad Græ-  
 cos ex Ægypto detulit, ubi eâ ſacra fieri cœpere. Dein-  
 de in Parnaſſo monte Bacchanalia, quæ Græcis Dionyſia  
 dicuntur, alternis annis acta ſunt magno cum hominum  
 multo mero incalentium clamore, tum Tympanorum  
 crepitu. Haut ita multò poſt, Græcus quidam homo igno-  
 bilis ejuſmodi Sacrorum antiſtes in Hetruriam venit, do-  
 cuitq; ritus. Ex Hetruria ea mali labes mox Romam  
 penetravit, ubi mirandum in modum morbi contagione  
 matronarum pudicitiam corrupit, cum per noctis licen-  
 tiam quidvis ſclerum unicuiq; edere liceret, nihilq; fa-  
 cinoris, nihil flagitii prætermitteretur. O execrandam  
 turpi-



turpitudinem, indignam homine, quem ratione, à brutis animantibus, cæco impetu cupiditatibus suis obsequentibus, discriminare Deo & naturæ placuit. Sed qui poterant aliter, justissimo Dei judicio, ob contemptum nefarium, neglectumq; veri Dei, Ejusq; cultûs, juxta ac contumacem interioris testimonii, conscientiæ scilicet, honestatis legem utut sub obscure debilterq; dictitantis, oppressionem, extra sensum pietatis & reverentiæ supremo Numini debitæ positi. Natura hominis, per pravam, intimisq; animæ medullis hærentem concupiscentiam ita prohdolor! depravata & corrupta est, ut non solum boni moralis, ad exemplar sanctitatis Divinæ illibatæ exprimendi, omniumq; spiritualium conatum queis animus è cæno, quin potius abyffo miseriæ suæ emergere queat, priva sit & incapax; sed & ad omnem subinde malitiam propudiosaq; flagitia tota inclinans & prona. Unde fit, ut sibi relictus, nec gratia divinâ adjutus homo, nullum scelus naturæ ductu relinqvat intentatum. Sanè eo usq; turpitudinis etiam excrevit hæc impietas & abominabile horrendumq; tantorum scelerum mysterium, ut tandem ipsis gentilibus, saniori rationis dictamini animum advertentibus indignationem nauseamq; moverit. Enimverò inde factum, ut de abolitione & extinctione religionis hujus pestiferæ, exterminandaqve insaniâ cogitarint Romani. Memorant Romanorum historiæ, SENATUM in Mystas & Symmystas Impii sacri, sceddissimiqve ritûs severe omnino animadvertisse, nec quievisse antea pœnas scelerum vindices, quam radicitus extirpata contagio esset, quod negotium laudabile felicem omnino successum nactum est, Sp. Posthumio Albino, & Q. Martio Philippo Coss. anno U. C. DLXVII. Hæcce verò jamjam brevibus enumerata nefanda flagitia, si conferantur sanctioribus religiosarum mentium



tium curis, quibus merito distinentur hoc tempore, qui Christiano nomine digni censerentur, annon insignem Christianæ gentis felicitatem irrefragabili testimonio comprobant? Certè proponitur nobis Jesus patiens, & moriens. O quantum salutis nostræ mysterium! Mortem & infernales plagas, Satanæque mille ludibria promerueramus homines, qui in Protoplastis, proæreticâ defectione, felicitatis omnis & æternæ potissimum salutis jacturam fecimus; & plagis oneratur, contumeliis proscinditur, ludibriis exponitur, morteque tandem crudelissima pariter ac turpissima nostri causâ finit JESUS, in quo nullum unquam fraudis repertum est vestigium. Scilicet, non reperiatur inter creaturas sive Angelos, sive homines, quæ expiare merito suo æternis addictos tenebris, iræque, Infiniti justissimique Dei satisfacere posset. Quapropter in arctiori S. S. Triados Consilio deliberatum, quo pacto homini misero, astutia Diaboli seducto, ferendum auxilium, exitque placitum, ut unigenitus DEI Filius, qui & ipse ejusdem cum Patre & Sp. S. essentia, verus ac æternus Deus, in assumpta humana naturâ, se daret prædem, piacularemque pro peccatis nostris victimam. Hic ipse JESUS atrocissimâ quævis, & quâ nihil atrocius, mortem ipsam subiturus, meditationibus hujus temporis, uti dictum, sacris, materiam præbet meritò. Et mortis quidem suæ exordium ab horto ducit, ubi angores animi perlentiscit ineffabiles, adeo ut ab Angelo erigendus reficiendusque sit. In horto, paradyso nimirum, prævaricationis factum initium est; quid convenientius, quam ut in horto etiam expiationis fieret primordium? Sic & mori, & reviviscere in horto cœpimus. Nobis ergo felicissimus hic hortus, ut ut infelix Servatori. Qvalis enim est, in



qvo pro deliciis angustia, pro relaxatione mceror, pro animi tranquillitate formido & pavor, dolor pro voluptate, pro plantulis tormenta, pro flosculis catena, pro arboribus fustes, lancea, faces, pro favoniis suspiria, pro fonticulis sudores & hi sanguinei? Sudorem utiq; sanguineum in hoc horto largissimè fudit Jesus. Quid tale ab ultimâ mundi origine auditum vel visum? æstus luctantis animi aperuit laxavitq; poros, perq; apertos non aqua, uti solet, sed sanguis impetu prorupit. Syrus, Scripturæ S. verba de hoc sudore testantia ita reddit; *Et factus est sudor ejus sicut demissiones sanguinis Et cecidit super terram*, unde colligitur, quod sanguis ex toto Christi corpore largiter eruperit, & ex frigiditate aëris in grumos concretus in terram decurrerit, annotante in Histor. Passionis Gerharo. Ecquid autem purpureum hunc sudorem è corpore Servatoris Optimi eliquavit? Certè peccata nostrum omnium, & quæ horum comes individuus est, ira Dei fuere prælum & torcular, qvo succus hicce pretiosissimus expressus est. De hæmorrhoideserpente, Dioscorides, aliiq; affirmant, morfu hujus læsos, unde quaq; poris & meatibus sanguinem sudare, & sanguinando interire. Hæmorrhoidi huic aptissimè peccatum comparaverim. Qvod si ergo unius hæmorrhoidis morfiuncula sanguinè elicere potuit, quid non potuerunt, tot, tamimmania & mortifera humanæ gentis peccata, quot fuerunt à primis mundi cunabilis, quot sunt, eruntq; ad supremum illius senium, quæ quidem tunc Christum omnia simul lancinabant. Naturæ interpretes Plinius, sanguinis & lactis pluviam in prodigiis numerat, & portendere ait; cavendâ esse iram divinam, prout nimirum Aruspices interpretentur. Hæc sanguinis Christi pluvia, quæ toto ejus corpore defluxit, luculenter nobis æterni Patris iram & in peccata vindicè  
Ejus



eius flammam, quam nostri causã experiebatur Dei Filius, demonstrat. Quemadmodum intensior æstus, largum sudorem nobis exprimit, sic æstus iræ divinæ, sanguineum Christo sudorem elicuit. Ex horto, vincētus ac captivus Jesus per vallem Josaphat, super torrentem Cedron, ad Domum Hannæ Pontificis trahitur, ab hoc ad Caipham, hinc in prætorium. Judices sedent, Annas, Caiphæ, Herodes, Pilatus, Ecclesiastici, Politici, sed omnes iniquissimi. Et certè pessimè excipitur ubiq; Servator orbis. In palatio Caiphæ, præter ludibria plurima, titulum Rei capitalis, colaphum crudelissimum & oculorum velū accipit. Ex aula Herodis nomen & vestem stulti reportat. In prætorio Pilati flagra ad columnam, ludicrum sceptrum, vestem purpuream, coronam spineam, mortis sententiam, omnem crucis apparatus, plagas innumeras recipit. Tandem decretoriã sententiã dicta crucifigendus educitur, vestimentis exuitur, vino myrrhato, potu amarissimo crudeliter reficitur, cruciq; nudus adsternitur, ubi ad ultimum aceto potatus, omnibusq; consummatis, quem Patri prius comendaverat Spiritum placidè emittit. Hæc & alia, Cives Optimi, sunt, quæ uberiori meditatione, qualem hæc pagellæ non capiunt, percenseri merentur. Vestrū erit hæc seriã æffirmatione, hoc potissimum tempore perpendere & quod reliquum est explere; hoc enim modo piæ antiquitatis intentioni, ac officio simul vestro, qui Christiani estis, satis fieri convenit. Verum enim vero dolendum maximè est, inter eos, qui Christianorū nomine censentur, tot inveniri, qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt; quin imo quam plures detractã larvã, ne quidem dissimulare, sed Bacchantis turbæ Ethnicæ insaniam ad vivum exprimere. Non dicam nunc de Romæ hodiernæ, quæ totius Christiani orbis caput se jactat squalore, & de pravatis moribus, utpote quæ Ethnicorum sordes illas non saltim æmulatur, sed & cum aliis Italiæ urbibus de earundem magnificentia certat. Ita enim foedè satis à se degene.




degeneravit illa urbiū Regina, quæ immortalem quondā gloriam  
 meruit, Bacchanaliorum sacra, perpetuo Senatus Consulto totā  
 Italia ejiciendo, de quo supra dictum. Et eo ipso exemplum præ-  
 ber reliquis, Pontificiæ religionis labe infectis regnis ac provin-  
 ciis, quæ *carnevale* suum, ut Itali vocant, hoc tempore celebrant,  
 quasi *carni vale* dicturi, jejunio quadragesimali appropinquante,  
 & in multis Bacchanalia gentilium ab inferis revocant. De-  
 testamur merito hunc morem, moribus bonis perniciosum.  
 Interim nec nos, qui veræ fidei Evangelicæ consortes vocitari  
 amamus, à contagio illo alieni planè censendi sumus. Sa-  
 nè si bacchari est furere (prout etiam Bacchus ipse, Mænoles,  
 quasi totus furenis dictus est) Bacchantur omnino illi, qui privatae  
 vindictæ cupiditate velut œstro perciti, lethifero ferro in cor-  
 pus proximi furunt sæviuntq;. Bacchantur porrò etiam illi, quo-  
 rum lingua solvitur in obscænos quosvis spurcosq; sermones,  
 scurrilibus jocis, magnum effusæ in omne nefas latitiæ additu-  
 ra augmentum. Bacchantur, qui intemperantis gulæ amant  
 luxum, & poculorum concertationibus, dies noctesq;, bonarum  
 artium studiis dedicandas, consumunt. Bacchantur, qui Vene-  
 rem illicitam, vagamq; libidinem sectantur, scortationibus adul-  
 teriisq; implicati. Absint talia longissimè à vobis, qui in officina  
 honestatis, liberaliumq; studiorum, non verò intemperantiæ ac  
 nequitiae; qui in cõmunione Doctorū virorum non in colluvio-  
 ne Cycloperum gigantum versamini. Baccho olim alternis tantum  
 annis Parnassum invisere licuisse veterum fabulæ testantur. Fa-  
 cessat planè, nec unquam pedem inferat, primave Academiæ no-  
 stræ limina tangat. Satis superque Hæc jam, tot tantisq; malis  
 pro dolor! attrita est, ut ægrè spiritum trahat agonizanti similis.  
 Neq; decrescunt, sed potius in dies incrementa capiunt adversi-  
 tates & turbæ, omnimodam desolationem & everisionem minan-  
 tes. Quid ergo iram Dei acerbiorẽ vitæ turpitudine flagitiisq;  
 provocare cumulareq; proderit? Præstat vitam agere innocen-  
 tem, nullisq; pravis facinoribus inquinatam, quâ ratione concili-  
 are nobis Summi Numinis favorem, pristinumq; florem resti-  
 tuere felici successu tentabimus. Sit ergo omnis nostra voluptas,  
 omnis amor in Jesu crucifixo, qui passione suâ nobis acquisivit  
 æternâ felicitatem, piisq; Sui cultoribus apprime delectatur.

*Publ. d. 10. Febr. A. O. R. 1689. Sub Sigillo Academ.*











ejus flammam, quam nostri causam experient  
 demonstrat. Quomodo intensior a  
 dorem nobis exprimit, sic aestus irae divini  
 Christo sudorem elicuit. Ex horto, vincit  
 fus per vallem Josaphat, super torrentem  
 mum Hannae Pontificis trahitur, ab hoc ad  
 in praetorium. Judices sedent, Annas, Cai  
 Pilatus, Ecclesiastici, Politici, sed omnes in  
 certe pessime excipitur ubique; Servator or  
 Caiphae, praeter ludibria plurima, titulum  
 laphum crudelissimum & oculorum velum  
 Herodis nomen & vestem stulti reportat.  
 lati flagra ad columnam, ludicrum sce  
 purpuream, coronam spineam, mortis  
 mnem crucis apparatus, plagas innumer  
 dem decretoria sententia dicta crucifige  
 vestimentis exuitur, vino myrrhato, po  
 crudeliter reficitur, crucique nudus adster  
 timum aceto potatus, omnibusque consu  
 Patri prius commendaverat Spiritum placidum  
 & alia, Cives Optimi, sunt, quae uberiori  
 lem haepagellae non capiunt, percenseri  
 erit haec seria aestimatione, hoc potissimu  
 pendere & quod reliquum est explere; hoc  
 antiquitatis intentioni, ac officio simul ve  
 ni estis, satis fieri convenit. Verum enim  
 maximè est, inter eos, qui Christianorum no  
 tot inveniri, qui Curios simulant & Bac  
 quin imo quam plures detractam larvam, ne quide  
 Bacchantis turbae Ethnicae insaniam ad vivum  
 dicam nunc de Romae hodiernae, quae totius Chri  
 ste jactat squalore, & de pravatis moribus, ut  
 rum sordes illas non saltim aemulatur, sed & cul  
 bus de earundem magnificentia certat. Ita et

us,  
 fu-  
 um  
 Je-  
 Do-  
 inc  
 les,  
 Et  
 atio  
 co-  
 ula  
 o Pis-  
 tem  
 , o-  
 an-  
 tur,  
 mo  
 ul-  
 em  
 hac  
 qua-  
 stru  
 per  
 pia  
 fia-  
 um  
 tur,  
 ant;  
 sed  
 Non  
 apud  
 ico-  
 rbi-  
 a se  
 ne-

